

II. *Epistola D. J. Phil. Breynij, M. D. Gedanensis, & Reg. Societ. Lond. Sodal. ad D. Hans Sloane, M. D. dictæ Societatis Secretarium; varias Observationes continens, in Itinere per Italiam suscepto, Anno 1703.*

Variis negotiis, tam domesticis, quàm alijs impeditus, exoptatissimum mihi, ut Tecum, Vir Illustris, ita & cum multis alijs per annos aliquot intermissi literarum Commercium; quod nunc pace Tua reinchoandi animus est: certa spe fretus, me silentii diuturnioris veniam facilè à Te impetraturum, imprimis ubi cogitaveris, variam à multis jam, proh dolor! annis Gedani fuisse fortunam & minus prospera fata, quæ nunc Armis, nunc Brumâ ultra morem gelidissima, nunc Anonæ caritate & dirissima Peste armorum pedissequis, ut omnes, quæ Polonorum Regi parent Terras, ita & Optimam Patriam miserè vexârunt.

Unde me Hercle non mirum, Ingenia sub boreali hoc & infelici h. t. Climate Stupore quodam & Lethargo quasi affici, & Apollinem cum Musis aliam sibi quærere velle sedem videri. Præstat tamen excusso Veterno expiare Apollinem, & abeuntem precibus retinere. Immerita Dei O. gratia est, quod adhuc sumus superstites; Ejus quoq; gratia post Nubila tandem suo tempore Phæbus; itaq;

*O passi graviora; dabit Deus his quoq; finem.
Durate, & rebus vosmet servate secundis.*

Quantum

Quantum itaq; in me est refumo calamum, indicaturus Tibi, Vir Celeberrime, quam sub manibus habeam in jucundissimo utilissimoq; Hist. Naturalis Studio publicanda; quæ si approbatione Tuâ digna fuerint, mihi summopere gratulabor. Ut enim nihil jam dicam de Borussia vel potius Pomerellia Viridario, quod in tempus magis commodum, si Deo placuerit vitam, sanitatem, quæ mihi satis fragilis, & pacem largiri, differo; nunc occupor Opere ad prælum parando, cui sequens erit Rubrica:

*Icones Breynianæ
Rariorum & Exoticarum Plantarum,
partim in Centuria & Prodromis
Jacobi Breynii Gedanensis
contentæ;
partim verò novæ nunc editæ*

*à
Joh. Philippo Breynio, Jac. Fil. M. D.
adjunctis*

*Contractis earundem Plantarum Descriptionibus,
Illustrationibus Notulisq; perutilibus.*

Continebit scilicet ultra Icones Paternas Centuriæ & Prodromorum, plus quam viginti Tabulas, partim novas Plantas, imprimis Officinales, partim etiam descriptarum partes essentielles, flores & fructus puta, omiffas & ignotas hactenus complectentes. Causa hujus Propofiti fuerunt multi ex clariffimis Botanicis, qui in peregrinationibus meis partim Ore tenus fuaserunt, partim Literis compellarunt, ut Novam Paternorum Operum Editionem adornarem cum meis additamentis, quorum ego petitioni deesse nolui, nec debui.

Præterea penes me est Additamentum ad Floram Prufficam ante annos aliquot à D. D. Gottfched editam, à Reverendo admodum D^o. M. Helwing Angersburgensium Ecclesiæ

Ecclesiæ Pastore adornatum Nomine *Floræ Quasimodogenitæ*, trecentas circiter continens Plantas indigenas, quarum nulla in supra laudata Flora fit mentio; quod etiam cum Auctoris venia correctum cum mea præfatione brevi publici Juris faciam. Cæterum in Historia Nat. nihil in nostris regionibus prodiit notatu dignum; quid in Britannia Vestra verò bonarum Literarum & Artium Asylo circa hanc Materiam agatur, discere aveo.

Nunc restat adhuc ut rariorem Literis hisce addam aliquam Observationem; cum verò portiunculam Itineris mei Anni 1703. Vobiscum jam communicaverim, quam Transactionibus Vestris de Anno 1705. Mens. Jul. inferere libuit, telam jam exorsam continuare malo, quòd eam Illustri Regiæ Societati non ingrati fuisse ex Literis Tuis acceptissimis intellexerim. Nec me ab hoc proposito deterret Excellentissimi Viri D. Christiani Henrici Erndh, Med. Doct. & Medici Aulici h. t. Sereniss. Polon. Regis Dignissimi Exemplum. Hic enim anno elapso edidit Relationem quandam succinctam de Itinere suo Anglicano & Batavo Annis 1706. & 1707. factò, in qua variæ Observationes Rem Medicam præsertim spectantes, & Celeberrimi Nominis Tui & aliorum mentio honorifica inveniuntur. Huic se publico Scripto quadam malignitatis & rancoris macula asperso opposuit quidam ficto Jani Gregorii Betulii Nomine, cujus verum Nomen detegitur *dans les Nouvelles dela Republique des Lettres* Anno 1710. Mens. Novembr. Hic certò admodum indignè Optimum Virum meliùs de Republ. Literaria meritum tractavit; sed apparebit brevi nova & emendata hujus Relationis Editio in Belgio, cum Præfatione, in qua malignas Adversarii sui Animadversiones refutaturus est Auctor. Non me inquam à Proposito memoratum deterret exemplum; non enim Malevolorum obtractatiunculas moror, si ad palatum vestrum fuerint,

quas traditurus sum, Observationes præsertim circa Rem Medicam & Naturalem minùs obviæ in Itineribus meis factæ.

Faciàm initium à Portu Liburno, in quo post longam, præ Æolo minùs cursui nostro favente, navigationem Maris pertæsus, Sanus tamen Dei gr. tandem ipsis Octobris Calendis Anni 1763 appuli; ubi Neptuno valedicens mox me in littus contuli, quod mihi inter alias rariore Plantas contemplantas mox offerebat

Crithmum maritimum, fl. Asteris Attici, C. B. Pin.

Kali geniculatum majus, C. B. Pin.

Kali minus album femine splendente, C. B. Pin.

Gramen da&tylum Ægyptiacum, C. B. Pin. Gramen Crucis, f. Neiemelm&salib, J. B.

Urbs in planitie sita ad maris littora, montibus utrinq; elatis, ut ut non admodum ampla, Emporium tamen elegans & probè munitum. Aer non admodum salubris, & Tertianæ duplex, quæ hîc difficilioris curationis, frequens mihi narrabatur. Itaq; quia Palladem hic Mercurio cedere intellexeram, post octiduanam quietem, Pisam aliquot milliaribus Liburno distantem, cum quodam ex conterraneis meis Itineris Socio profectus sum. Iter erat amœnissimum, per planam fertilemq; terram, interpositis sæpius Nemoribus Quercu, Ilice, & Subere, ut & Myrto frequentibus.

Pisa quondam Resp. & elegans Civitas, nunc M. Hetrurix Duci subjecta ordine secunda, multum de pristino splendore ac hominum copia, quod vulgo notum est, amisit. Plurima hic sunt, quæ inspectionem merentur, quæ, cum in aliis Itinerariis & Topographis exstent, sicco pede transeo. Literas Syllaticas habebam ad Clariss. Mich. Angelum Tilli, Doct. & Professore Med. & Botanices in Univer&ate Pisana, cuius, cum ob ferias tunc

Florentiæ degeret, vices mihi supplebat ipſius Frater, J. U. D. & Subcancellarius, Vir, ut ſolent Itali, erga exteros humaniſſimus. Universitas fuit quondam hîc celebrior, quàm quidem hoc tempore. Quatuor habet Collegia Oxoniënſibus nequaquam æquiparanda: quorum primum dicitur Collegium Sapientiæ; ſecundum eſt Collegium Ferdinandi, à Ferdinando I. M. H. D. Anno 1595. extractum in loco, ubi erant Ædes Bartholi ſamoſiſſimi J. C. ut docet Inſcriptio; tertium Puteanum, à Puteo Epiſcopo Nomen gerens, Anno 1605. erectum. Sed præſentibus feriis omnes Scholæ clauſæ erant, ipſis Novembris Calendis recludendæ. Hortus Botanicus Piſanus Rerum Herbariæ Profeſſoribus ſatis notus à Cosmo I. M. Hetr. Duce Anno 1547. ſeptennio ſc. poſt Patavinum, qui primus fuit, inſtitutus eſt, eiq; præfeſtus Lucas Ghinus (teſte Caſtello in Opt. Med.) cui ſucceſſit Botanicorum ſui ævi Princeps nunquam ſatis laudandus Andreas Cæſalpinus. Citatus Lucas Ghinus, à Jo. Antonio Bumaldo (quo ſicſto Nomine Ovidius Montalbanus anagrammaticè latet) in ſua Bibliotheca Botanica primus Hortorum publicorum Academicorum Fundator dicitur. Ædes autem Horto adjacentes, in quibus plurima rariora Naturalia & Artificialia ſervantur, Ferdinandum I. Fundatorem agnoſcunt Anno 1595. ut Inſcriptio in portæ limine teſtatur. Antequam ad Hortum itur in atrio multa Balænx offa repoſita videntur; in parte ſuperiore verò Gazophylacium rerum Naturalium & Artificialium bono ordine digeſtarum: Per aream ubi pergimus ad alteram Ædificii partem ad Horti Introitum ſitam accedimus, in cujus porticu variæ Effigies, ut Cæſalpini, Cluſii, Caſauboni, Matthioli, Ponæ, &c. in perpetuam Clariffimorum Botanicorum Medicorumq; memoriam ſuſpenſæ ex parietibus ſpectantur. In ſuperioribus conclavibus Antlia habetur pneumatica major cum aliis quibuſdem Inſtrumentis Phyſicis, ut & Furni cum ſuis Chemicis Inſtrumentis. Hortus ipſe ſatis ſpatioſus eſt, non tamen exquisitè cultus, quem Hortu-

tulanus senex 1500 Plantarum, sed nullo fere ordine dispositarum, species alere mihi affirmabat. Interim rariores quasdam videbam alibi non observatas; imprimis oculum & animum meum delectabant

Palma Dactylifera trium ferme virorum altitudine, fructibus onusta, qui raro hic plenam maturitatem assequuntur.

Myrtus latifolia Bœtica secunda, vel folijs laurinis confertim nascentibus, C. B. Pin. Arbor hæc in nullis aliis Hortis à me visa, si arbor dicenda est, quæ multis stipitibus ex solo exsurgit ad duorum virorum altitudinem; Folia habet Aurantio Sinensi, Ferrarii, simillima; Fructibus referta erat majoribus ex nigro cæsiis. Hortulanus Africanam esse aiebat.

Syrax folio Mali Cotonei, C. B. Pin. procera arbor fructibus maturis ornata.

Ilex aculeata cocciglandifera, C. B. Pin. magnitudine spectabilis.

Hujus Horti Catalogum quondam edidit Thomas Belluccius ejusdem Horti Præfectus & Botanicæ Prof. Ord. Impressus est Florentiæ 1662. in 12mo.

Aquæductus Pisanus, qui limpidissimam aquam per 5 Milliaria Italica ad urbem ducit, visu dignus est, antiquus & temporis injurias ferens.

De famosa illa Turri inclinata hic saltem monendum duxi, ejus fundamentum in illo latere in quo inclinatur, mox in vel post erectionem subsedisse, hincq; situm illum inclinatum, adeo decantatum, turrim, præter Architecti intentionem, acquisivisse, quod facile examinanti patet.

Elapsis aliquot diebus relicta Pifa, Lucam iter aggressus, primò transivi planitiem satis fertilem, & ob agros Moro, Lauro, Populo, Ficu, &c. cum annexa Vite circumdatos visu jucundam. Postea transcendendus erat Mons Sti. Juliani, ob Thymbram Montis Sti. Juliani dictam non ignotus, altus & petrosus, rarioribus nihilominus plantis ornatus; in transitu præter dictam Thymbram

varias

varias observabam Cisti tam Ledi, quam Maris, & Myrti species, Lentiscum, nec non Ericæ & Sedi species aliquot. Ad montis pedem Lucensium incipit Jurisdictio, in qua mox sese Oculis nostris offerebant Oleæ olivis, quæ inter optimas numerantur, Castaneæ etiam, Arbutus & Terebinthus fructibus onustæ maturis. Tandem nova & fertilis planities vineis abundans ad Lucam usq; Caput Reipubl. satis notæ. In hac parum quod Medicinam vel Hist. Nat. concernit vidi singulare. Hoc saltem observandum, me in hac Ditione, ut & in Hetruria, quamplurimos notasse agros Lupino vulgari semine albo, quo cocto homines vescuntur, consitos. Cæterùm ibidem & Ciceres, Milium, Sorgum, & Panicum in agris partim pro hominum, partim verò pro columbarum aliarumq; avium usu coluntur.

Hinc per Pistoriam ad Hetruriæ Metropolin Florentiam iter meum direxi, ubi 17. Octobr. appuli. Innumera habet ampla hæc & elegans Civitas visu dignissima, ab aliis, imprimis in Libello, cui titulus, *Rispetto delle Cose più Notabili della Città di Firenze*, recensita, inter quæ Gazophylacium M. Ducis, quod *Galeria* appellatur, prætiosissimarum rerum arte factarum magno apparatu referatum, & splendidissimum Sti. Laurentii Sacellum M. Hetr. Ducum Sepulturæ dicatum, necdum perfectum, quibus cultissimos M. Ducis Hortos addas, facile primas tenent.

Maxima tunc temporis Florentiæ ornamenta erant Celeberrimi per totam Europam Viri Laurentius Bellini & Antonius Magliabechi. Ille M. Ducis Archiater, in Medicina, imprimis Theoretica ejus parte, quod variæ ejus testantur Lucubrationes editæ affatim, versatissimus, & verè magnus Vir, in Praxi tamen (quod sæpius etiam in aliis observatum est) non adeo felix, me ultra morem, cum se aliis difficiliorem habeat, accepit quam humanissime. Vir est parvæ staturæ, sexagenarius, variis morbis fractus, sinistri oculi à quinq; jam annis Catarractâ laborans,
Cum.

Cum hoc de variis rebus Medicis mihi erat Sermo. Nihil statuebat esse in Medicina, quod ingenio & studio non possit expiscari, cum omnia secundum leges Mechanicas fiant, præter minimarum particularum & Elementorum figuras, hæcque esse rationem, cur Medicina nunquam ad perfectionis culmen perventura sit. Aquæ Tetuzzianæ in Dysenteriae curatione adeo decantatae scaturiginem prope Pistoriam esse, me docebat, eamque continere Salem marinum sive commune, & purgandi vi præditam esse; hinc pauperibus aliquando Salem marinum in Aqua fontana solutum propinari simili, licet non semper æquè felici cum successu. Multa se chartis commisisse affirmabat, lucem publicam fortè nunquam visura. Ab annis jam aliquot sæpius vacavit Musicæ & Poësi, quas perditè se amare aiebat, continuis Meditationibus distractus. De hujus Viri morbo & sequentibus dicam.

Alter Antonius Magliabechi, M. Ducis ejusque Fratris t. t. Cardinalis Bibliothecarius, in Librorum cujuscunque generis cognitione ad stuporem versatus, unde eum non immeritò Vivam à Serenissimo Duce Bibliothecam salutari tradunt. Vir hic erga exteros humanissimus est, quod ipse satis superque expertus sum, cum prima saltem vice ipsum in instructissima Bibliotheca Cardinalis, quæ in supremi Principis Palatio servatur, salutarem, ubi de variis libris me instruxit quàm lubentissimè. Inter Libros Medicos, ut & Hist. Nat. Scriptores, quorum magnus adest numerus, eminebat spissum Volumen in regali forma, vivas Plantarum Icones artificiose suis coloribus expressas, additis Nominibus manuscriptis, continens, cui Titulus: *Viridarium Botanicum, in quo Arborum, Fruticum, Suffruticum, Stirpium, & plurimarum Plantarum tam indigenarum, quàm exoticarum Species lætè virentes perennantur; quas è diversis locis collegit & delineavit, coloribus naturam imitantibus pinxit, & celebrium Botanicorum Nominibus distinxit Josephus Baldus, Medicus, Physicus, Civis Florentinus, Academicus Apatista 1650.*

Postmodum toties miratus sum, quoties vidi Celeberrimum Virum, præsertim in ædibus propriis, in quibus vix locum invenies, qui Libris repletus non sit; adeo, ut, qui Libros ejus Elementum vocat, in quo degit, non a vero aberret.

Inter Bibliothecas, quæ pulcherrimam hanc urbem etiam Doctis commendant, non ultima est quæ Sti. Laurentii dicitur à Templo adjacente homonymo. Hæc non minus ob elegantem Architecturam, quam famosissimo Michaeli Angelo Bonarotio debet, quàm imprimis ab insignia in omni Facultate MSS. ex quibus tota ferme constat, ferreis catenis uti in Bodleana Oxoniensium alligata, commendabilis. Inter Medica mihi maximè notabile videbatur vetus aliquot MS. in Folio in membrana exaratum, cum figuris vivis coloribus expressis ad luxationes præsertim pertinentibus, sequenti titulo: *Chirurgia Hippocratis, Galeni, Oribasii, Heliodori, Asclepiadis Bithynii, Archigenis, Dioclis, Amyntæ, Apollonii Ther. Nymphodori, Ruffi Ephesii, Apollonii Citiensis, Sorani, Pauli Æginetæ, Palladii.* Hoc MS. ut me D. Magliabechi certiolem fecit, transcripsit Jacobus Tollius, post cujus mortem eo jam potitur Hainius Professor Dusburgensis illud prope diem publicaturus. Hic & Dioscoridis codex MS. afferatur, in charta scriptus, qui tamen non admodum antiquus videtur.

Imprimis grata mihi hic fuit conversatio cum admodum Rev. Patre Brunone Tozzi, Monacho Valombrosano, cui ab Illustri Viro, D. Wilhelmo Sherard, J. U. D. Nationis Anglicanæ Smirnæ Consuli meritissimo, Botanicorum Principe, quem se brevi ut spero operosissimo Opere, Caspari Bauhini scilicet Pinace correcto & ad hæc usq; tempora continuato, ad quod solus Sherardus sufficit, integro Orbi ulterius demonstrabit, uti omnibus ferme Italiæ Botanicis, commendatus eram. Sanè vix me temperare possum, ubi Clarissimi hujus Viri optimè de me meriti mentionem injicio, quia in effusissimas ejus
effundar

effundor Laudes, nisi nota mihi esset ipsius, quam habet, Fama cum Modestia conjuncta. Sed ut ad D. Brunonem Tozzi redeam, ejus sanè humanitatem & in Botanicis peritiam satis deprædicare nequeo. Incredibilis est ejus in inquirendis Plantis diligentia, quam ob rem singulis annis Hetruscas Alpes perreptat, Plantasq; collectas propria manu vivis coloribus quàm accuratè depingit. Promisit Catalogum Plantarum in Hetruria nascentium, cum non descriptarum Iconibus, quarum nonnullæ jam erant sculptæ. Ducebat me laudatus Vir ad Nosocomium Stæ. Mariæ, quod Italiæ, si non totius Europæ, amplissimum dicitur, in quo ingens Ægrotantium numerus egregiè curatur. Vidi cum eodem etiam Laboratorium Chemicum M. Ducis, quod *Fonderia del Grand Duca* appellatur Italis, in quo quamplurima Præparata Chemica cum Furnis & Instrumentis servantur. Hic observabam modum conficiendi varias Essentias odoriferas per integram Europam ferè decantatas, quæ Essentia de Bergamotte, Cedro, &c. vulgo nominantur. Præparantur scilicet per distillationem (secus ac Romanæ Essentiæ, quæ per expressionem saltem fiunt) ex corticibus per Vesicam & Serpentinam, sola addita aqua communi, à qua post distillationem Oleum supernatans Essentia dictum separatur. Aquæ autem odoriferæ ex Floribus, hic absq; ullius aquæ additione distillari solent, & sunt excellentissimæ. Præter hoc Laboratorium Florentiæ quoq; habetur M. Ducis Pharmacopœia, in qua inter rariora Monstrosi aliquot fœtus in Sp. Vini servati, ut Lepus oëtipes, Caniculus biceps, Caniculus monophthalmos in fronte, & alii mihi demonstrabantur. Idem D. Tozzi mihi viam aperuit ad summe Rev. Abbatem Monasterii Ripolitani Valombrosæ Virgilium Falusium, multa ætate provecum, sed humanitate, & in Botanicum Studium amore, quod ejus Prosopopœia Botanica testatur, nemini secundum.

Botanicis Hetruscis quoq; annumerandus est D. Petrus Antonius Michaeli junior Bibliopola, supra nominati D. Tozzi amicus. Hic Rei Herbariæ studiosissimus, imprimis Methodi Tournefortianæ gnarus, qua adeo & non absq; ratione delectatur, ut integras Tournefortii Institutiones Botanicas ipse ad septem circiter plagas in forma duodecima contraxerit, quibus tamen omnes figuras Tournefortianas genericas cum Nominibus & classium Inscriptionibus complectitur; opus certe editione dignissimum, de qua tamen hæcenus nihil comperi.

Antequam Florentiam relinquam, non possum planè silentio præterire elegantissimæ hujus Urbis dedecus, fenestras videlicet chartaceas plurimarum ædium, ut & Palatiorum nonnullorum, quas frequentiores adhuc Pisæ & Lucæ annotaveram. Miror sanè Incolas alias in Ædificiis facis splendidos hac in re adeo esse negligentes; cum tamen Vitra ibidem non majoribus, quam alibi sumptibus parari posse persuasus sum.

D. 30. Octobris me Romam contuli; transibam Senam linguæ Toscanæ puritate celebrem, postea & Montem Radicosani præaltum, ad cujus radices descendendo incipit Jurisdicção Papæ.

Bolsena Oppidum est ad lacum ejusden Nominis situm, ad cujus sinistrum latus via regia est Sylvæ quernæ adfita. Quercus hic solent esse humiliores, gallis majoribus refertæ, ut & excrementis illis, quæ Pilulæ capillatæ, C. B. Pin. Lobelio verò rectius Bedeguaris effigie excrementum spongiosum & muscosum. Frequens quoq; Quercus calyce echinato, glande majore, C. B. Pin. à me observabatur. Montes erant saxei, multis in locis ex Basalte compositi, multis cavernis & specubus olim arte ut suspicor excavati.

Monte-Viasconi dictum Oppidulum à Vino muscato optimæ notæ *Est, Est, Est.* adeo notum; de quo præ cæteris legendus est D. Misson *dans son Voyage d' Italie*; tibi tamen notandum, ipsum etiam si alios hanc ob ratio-

nem carpat, inscriptionem Sepulchri non rectè notasse, quam sequentemprehendi:

EST. EST. EST. PPR. NIUM
EST. HIC. IO. DEUC. D.
MEUS. MORTUS. EST.

Viterbium Civitas est post Senam in hoc Itinere maximè notabilis & satis ampla Pontifici subjecta; ad cuius dextrum latus, cum Thermas reperiri Naturales, *Bulicanti*, i. e. bullientium nomine ibidem cognitæ, unum milliare Italicum distantes audivissem, eo mox me mea duxit curiositas. Inveni autem eas decliviori loco, in solo albicante arido & quasi calcario, odore sulphureo & fumo mox adeuntibus sese prodentes. Sapor quoq; ad sulphureum admixta aliquali faldine accedebat. Primariæ in loco aliquantulum elatiori sitæ, multis scaturiginibus ex terra propullulantibus compositæ, muro lapideo humili heptagonæ figuræ cingebantur, Balneum Regis Bathoniense magnitudine ferme adæquantes. In uno muri latere sequens saxo insculpta legitur inscriptio:

D. O. M.
Ars Ortulanorum
fecit A. D. MDC.

Aqua est calidissima, ita ut manum, si paulo diutius in ea detineatur, comburat, & Ova brevi induret. Ex his 4. rivuli veloci cursu prodeuntes adjacentibus Thermis secundariis aquam largiantur, sed caloris longè remissioris. Rivulorum fundus saxeus est, albus ex sedimento aquæ calcario ortus, quo refertam esse stipites quoq; Cannabini simili crusta lapidea & calciria undiquaq; obducti, quos ibidem colligebam, testantur. Multis in locis concretum hoc sedimentum coloris est viridescens, quod aquæ quoq; dictum colorem conciliat. Fere neglecta
mihi

mibi hæ Thermae videbantur, quod tamen summo opere mirabar, etiamsi internum earundem usum ob copiosè admixtas particulas calcarias nemini suaderem. Cæterùm in Thermis hisce secundariis Cannabim macerare solent accolæ.

Relicto Viterbio loca quædam alia vidimus minùs notatu digna, donec tandem d. 4. Novembris totius terrarum Orbis quondam Dominam Romam sc: intravimus. Quid in amplissima hac civitate circa studia nostra observaverim ex sequentibus cognosces literis, ubi præsentis Tibi non ingratas fuisse ex benevola responsione cognovero. Vale, Vir illustris, & amare perge in clyti Nominis Tui

Dabam Gedani 1711
d. 19. Septembr.

Cultorem humillimum

J. Phil. Breynium, M. D.

III. *Animadversiones quædam in Codicem MS. membranaceum, superiori Epistola memoratum: Excerptæ ex Additamentis G. Ch. Schelhammeri in Herm. Conringij Introductionem in Artem Medicam. Cap. XII. pag. 401.*

Preter hos [sc. Hippocratem, Galenum, & C. Celsum] ex antiquo ævo, qui hanc doctrinam [Chirurgicam] scriptis tradiderit, neminem habemus. H. Conringius.

Extant quidem plurimi, sed *avixdoroi*, si credimus Johanni Sponio, artis & antiquitatis peritia celeberrimo, in Augusta illa Magni Ducis Hetruriæ Bibliotheca inter Manuscripta ad Sancti Laurentij Ædem asservata, de quibus non pigebit verba ipsamet adscribere ex *Itinerario*, quo per Italiam, Dalmatiam, Græciam, &